Vir Celeberrime

Recte quidem sed nimis sero mihi redditae fuerant tuae literae, quod non ex veredarii publici negligentia, sed mea absentia factum credas. Cum enim mihi tunc temporis extra Cassellas funus desideratissimi parentis curandum esset, domo per 4 hebdomades abfui. Utinam vidisses quantum me tua epistola in summo luctu constitutum exhilaraverit, siquidem jamdudum de comparanda tua mihi amicitia, fama nominis tui excitatus, sollicitus fueram, cum praesertim preces nonnullae literariae ad te V.C. deferendae essent, quas, etiamsi tibi vix nomine notus essem, locum inventuras non uno nomine inductus confidebam. At haec consilia mea insigni tua humanitate praecipi, imo me nonnihil adhuc dubitantem num fas sit ea abs te petere, erigi, ut nunc de tuo in me favore plane sim persuasus.

Antequam vero ad literas tuas et suavissimas et elegantissimas respondeam, primo loco mihi gratulandum tibi est partim de nitida editione Salustii, quam collatione Codicis Sec. X. adjutassem, si Weidmannus vester citius mentem meam tibi deditam explicasset, partim quod ab infamia, ita pene voco neglectum humaniorum literarum, Germanos liberaveris, qui a longo tempore

298v

expoliendis Auctoribus Classicis vel nullam vel saltem superficiariam operam impenderant. Perge V.C. eo quo coepisti pede, uti te pergere ex literis tuis didici, de his studiis bene mereri et immortalem nominis famam tibi abunde comparabis.

Quod vero ad argumentum tuae Epistolae attinet, velim certo tibi persuadeas Te nullam gratiorem operam mihi imperare potuisse, quam illam de conferendis Lucani codicibus. Servat heic loci Bibliotheca Serenissimi MS. mutilum quidem sed peregregium, uti proxime pluribus tibi ex certissimis criteriis indicabo, quod lubens tibi in usum, si per leges licuisset Lipsiam misissem, verum cum hoc obstent, a me habebis collationem summa cura et fide institutam, cujus specimen hisce literis adjectum accipe, reliqua intra 14 dies d. V. sequentur, dare enim hunc laborem nemini tuto committere, potero, ipse mihi horis subcisivis subeundus est. Sunt mihi pariter ad manus variantes lectiones excerptae ex codice Marburgensi ante hos 14 annos, quas si desideres, pariter suo tempore habebis, nec forte displicebunt, cum 4 versibus auctius sit hoc MS.

Nunc tandem et tuum auxilium imploro. Nosti procul omni dubio ex novellis rei literariis me totum totum esse occupatum in Syntagmate recudendo, Petro de Vineis expoliendo et conscribenda Historia Hassiaca. Cui vero multa Lipsiae asservantur monu-

menta, quae mihi valde his in negotiis usui esse possint
rogo ea qua par est humanitate, velis in gratiam
Reipubl. Literariae et mei caussam apud eos agere, quos
in adjecta schedula reperies, eo enim ipso me multum
tibi obstringes. Praesertim vero Excell. Menckenium
tua qua apud eum polles gratia, quaeso inducas,
ut in usus meos concedat MSS. ex Catalogo suo instructissimo
quae ad historiam Thuringicam faciunt.
Plura nunc addere ob varios alios labores quibus
paene obruor, non licet. Vale igitur et fave Celeberrimi
Nominis Tui Cultori indefesso

Cassellis 18 die April
1725 volante calamo

Joh. Herm. Schminckio

P.S. Reperiuntur in Ms Cassellano variae glossae Gram-
maticae et Historicae et quidem ex Sec. XII, quas, ubi
legi possent, describam, quam primum cognovero te eas
desiderare. Si commodo tuo fieri potest, quaeso me proxime
credas te accepisse meas literas, et quid exspectandum
mihi sit ex Bibliotheca Senebria et Menckeniana.
Ceterum et id velim scias me ante triennium Marburgo jus-
su Serenissimi valedixisse, et nunc Cassellis vivere cum fa-
milia.